LECTIONUM HIBERNARUM INITIUM

IN

LITERARUM UNIVERSITATE

ALBERTO - LUDOVICIANA

AD DIEM III. NOVEMBRIS

INDICIT

CONSISTORII ACADEMICI NOMINE

CAROLUS ZELL

PHIL. DR. GRÆCARUM LATINARUMQUE LITERARUM PROF. P. O.

INEST OPERIS KLUEPFELIANI DE VITA ET SCRIPTIS CONRADI CELTIS PROTUCII PARTICULA X. SIVE PENULTIMA COMPLECTENS LIBRI II. CAP. XII. — XVI.

FRIBURGI BRISGOVIAE

TYPIS WANGLERIANIS.

MDCCCXXVI.

Omne otium, Commilitones, honestum esse debet et moderatum; alioquin desidia languemus et congelamus inertia. Quapropter et nos gratam illam non minus quam necessariam laboris et otii vicissitudinem servemus et studia nostra si non deposita tamen aliquamdiu remissa nova virium contentione repetamus. Jam igitur adeste, ad signa convolate; jam agmen denuo explicandum est, jam denuo promenda arma,non bellicosa illa quidem et cruenta, sed pacifica et salutaria, meditandi, scribendi, legendi, quibus optimarum artium studia utuntur. Jam denuo periculum faciamus, quam vere a Romano vate illud proditum sit: *Major post otia virtus.* *) Atque procul dubio eo minus cessabitis, cum ex otio non ad negotia cogamini, sed otium cum otio sitis permutaturi. Ita enim vere esse invenietis, Commilitones, si rem ipsam atque adeo vel vocabulum otii perpenderitis. Veteres enim, ut constat, illud omne tempus otii nomine appellaverunt, quo a publicis reipublicae administrandae muneribus vacui, sibi ipsis, literis et bonarum artium studiis vivere

*) Stat. Sylv. IV, 4, 34.

possent. Hoc est nobilissimum illud Scipionum, Catonum, Tulliorum, aliorumque otium, quod ut dulcissimus rerum gestarum fructus a praeclarissimis olim viris tantopere exoptabatur, unde tot immortalia ingenii opera effloruerunt. Vobis autem, Commilitones, num aliud jam tempus instat, quam hoc ipsum discendi, studendi, literis incumbendi otium? Non enim negotiis publicis impediti, non reipublicae gerendae curis distracti, non civilibus turbis conflictati, sed placidi, sed quieti rebus cognoscendis et literato illi otio, quo Cicerone *) teste nihil dulcius, vacare potestis. Fortasse nondum satis crebro cogitavistis, quanta sit conditionis vestrae felicitas cum negotiosorum vita comparatae. Sed ipsi videtis, per omne hoc studiorum tempus otium nunquam vos deficere, et quem fructum post multos exantlatos labores primarii antiquitatis viri amplecti solerent, eundem sponte vobis et sine ullo vestro negotio nasci. Gaudete igitur his benignissimae fortunae donis, et hac opportunitate nunquam posthac reditura recte utamini; atque quod idem ille optimus otii et negotii arbiter, quem modo adhibui, ex Catone affert, clarorum virorum non minus otii quam negotii rationem constare oportere **), id etiam vobis esse faciendum cogitate.

*) Cic. Quaest. Tusc. V, 105.

**) Cic. Pro Cn. Planc. c. 66.

CAPUT XII.

In hoc libello continentur:

SEPTENARIA SODALITAS LITTERARIA GERMANIAE.

AUSONII SENTENTIAE SEPTEM SAPIENTUM SEPTENIS VERSIBUS EXPLICATAE.

EJUSDEM AUSONII AD DREPANUM DE LUDO SEPTEM SAPIENTUM.

EPISTOLA SANCTI HIERONIMI AD MAGNUM, ORATOREM URBIS DE LEGENDIS ET AUDIENDIS POETIS.

CHAR. GOTH. FOL. 8. VIENNAE 1500.

Quid hic *Celtis* libellus ferat, ejusdem inscriptio, quam modo attulimus, satis edocet.

I. Priorem quidem locum obtinent *Celtis* carmina jambica *de septenaria sodalitate litteraria Germaniae*, *a*) quae ejus potissimum opera in diversis provinciis imperii Germanici coaluit. Fallitur autem, quicunque opinatur, hauriri hinc posse notitiam de origine, incremento, legibus, aut sodalibus, eorumve studiis. Reapse enim nihil aliud hic inveneris, nisi universam societatem litterariam, *Celte* auctore institutam, in diversos coetus particulares per Germaniae praesertim ditiones diffusam fuisse; traxisseque distincta nomina a regione aut loco, flumine, silva, ubi sodales litterarii consederant. Recensentur id genus eruditi coetus, in quos disposuit *Celtis* omnem litterariae Germaniae chorum, numero septem; hoc ordine: 1) *Septemcastrensis*, *Danubianus*; 2) *Dantiscanus*, *Vistulanus*; 3) *Pomeranus Codoneus*; 4) *Albinus Luneburgensis*; 5) *Alpinus Drauanus*; 6) *Rhenanus Vangionus*; *b*) 7) *Necaranus Hercinianus*. Singulis hisce

a) In libris Epigrammatum, quos *sodalitatibus litterariis Germaniae dedicat*, non commemorat *Celtis* Lib. I. Epigram. I. nisi sodalitates has *quatuor*: *Rhenanam*, *Vistulanam*, *Danubianam et Codoneam*.

b) In Lib. Epod., ubi haec eadem carmina de sodalitate *septenaria* litteraria Germaniae occurrunt, additur: *et Mosellanus*.

litterariae sodalitatis Germanicae inscriptionibus subjunguntur versiculi septem jambici generis, qui versantur in indicando celebri aliquo numero septenario, velut septem Sapientum Graeciae, septem collium Romae, septem urbium Germaniae metropoliticarum; et sic deinceps. Sit exempli loco carmen, quod est adjunctum sodalitio *Pomerano Codoneo.*

POMERANUS CODONEUS.

Metropolitanas ferox Alemannia
Urbes habet septem, ut domus Romulea
In collibus septena templa condidit.
Treveris vetustior, at ditior *Colonia,*
Et Saxonum terris *Magdeburgum* nobile,
Et littorales arcticum prope circulum,
Premensis, et *Rigensis,* urbs Sauromatum.

Cum hae non sint nisi quinque civitates *Metropoliticae*: versiculus quintus in *Lib. Epod.*, ubi idem carmen redit, emendatus, civitatibus duabus additis, *Salisburgo* nimirum, et *Moguntia*, hunc in modum legitur: *Et Salceburgum*, *Magdeburg*, *Moguntia.*

Erat *Celtis*, bono Germaniae, ac rei litterariae commodo inquietus homo; qui omnes et omnia movit, ut barbariem pelleret ex scholis patriis, exulesque ac contemptas Musas in Germanas terras reduceret, redderetque splendori, ac dignitati suae. Qui, cum tanto operi se solum parem haud esse cognosceret, ex omni late Germania sodales conscripsit, ingenio, eruditione, ac multiplici doctrina claros, qui conjunctis secum studiis, junctis viribus, sociaque opera id negotii susciperent. Unde, auctore potissimum ac hortatore *Celte*, in Germania natae sunt seculo XV. illae litterariae sodalitates, quas inter facile erant celeberrimae, *Rhenana*, atque *Danubiana.*

Nulla fere scientia erat, ars aut disciplina liberalis, quam excolere diligentius, ac nativo restituere nitori non summopere adniterentur litterarum renascentium confoederati restauratores. Exorsi a doctarum linguarum studis, quod cujuscunque doctrinae solidioris fundamentum est, atque

basis, nihil legendum, nihilque imitandum esse statuerunt, nisi quod apud veteres, probatosque auctores pure, terse, ornateque dictum reperiretur, ab aliis autem omnibus velut a contagione, atque letifera lue abstinendum esse rati. Poesin, divinam illam artem, quae ad id temporis incomperta fere fuerat apud Germanos, induxerunt in gymnasia: artisque oratoriae institutiones haustas ex limpidis optimorum rhetorum fontibus, propinare studiosae juventuti allaborarunt. Quoniam vero poeta aut orator infantis in morem balbutit, nisi solidioris philosophiae praeceptis fuerit probe imbutus, ut missis inanibus tricis, melior philosophandi ratio ad mentem *Platonis* potissimum effloresceret, toto pectore incubuerunt.

Quanquam vero sodalium litterariorum studia diversi generis fuerint, in eo tamen conspirabant, quod eundem sibi omnes habuerint praefixum scopum, emendationem videlicet artium et scientiarum. Alii disciplinis mathematicis applicuerunt animum, dabant operam geometriae potissimum, atque astronomiae, ad ductum *Euclidis*, et *Claudii Ptolemaei*. Tentabant tabulas peculiares fluviorum, montium, singularumque regionum delineare. Varii generis nova instrumenta inveniebant ipsi, manibusque suis elaborabant; habebantque curam accuratiorem in observando siderum cursu. Unde factum, ut Germani, Viennenses potissimum, in eo studiorum genere Italis, aliisque nationibus praevalerent.

Alii ad studium, et cognitionem antiquitatum se totos contulerunt. Peragrabant omnem late regionem, ut quid investigarent, quod votis suis responderet. Adibant ac superabant montes, lustrabant valles, excussis aggeribus, tumulis, bustis, ac cineribus defunctorum, ut invenirent, colligerentque hastas, enses, tela, annulos, nummos, aliasque reliquias veterum sive Germanorum, sive Romanorum, qui illas terras aliquando tenuerunt. Scrutabantur lapides, quos barbarorum incursiones, aut temporum longinquitas, injuriaque indigenarum intactos reliquerunt, ut inscriptiones veteres, aut notatu dignam figuram quampiam invenirent, quae ad illustrandas res patrias aliqua ratione videretur pertinere.

Ut rei litterariae in Germania cursus procederet felicius, aliorum vigilaverat cura, qui ex bibliothecis, tabulariis, abditisque coenobiorum

angulis veteres codices protrahebant in lucem, qui diu sepulti, cum situ tineis, vermibus dimicaverant. Indigne ferebant hasce opes litterarias negligi a Germanis: cum Itali ex nostris bibliothecis abstulerint codices plures, quos typis impresserunt. Rem hanc tanquam indignam Germano nomine, his verbis eloquitur *Celtis*: „Quo circa cum vidissem multa „praeclara, et illustria exemplaria, tanquam egregia, et optima quaedam „de nobis spolia, ab Italis e Germania in Italiam delata, ibique impressa, „cogitabam et ego, ad me hominem in media Germania, et Hercinia „natum, successionis et hereditatis jure spectare debere, ut latentes in „obscuro codices, velut venator egregius, elicerem, Germanisque meis, „typis procusa traderem."

Neque praetermittendam sibi putarunt sodales litterarii Musicam, velut artem, quae mentium humanarum est dominatrix; ut patet ex opere *Melopoeae*, quod ediderunt. Idem conficitur ex conventiculis, in quibus jucunditati se dabat litterata cohors ad relaxandos animos. Inter concentus musicos, atque pocula disputabant de philologia Latini, Graeci, et Hebraici sermonis, de jure pontificum, et imperatorum, de curru siderum, de fluxu et refluxu maris, origine fontium, coloribus indis, vento, aere, nebula, aliisque meteoris, et quatuor anni tempestatibus, rebusque ceteris, quas complectitur haec naturae universitas. Haec quidem, et alia sodalium litterariorum studia nobis innotescunt tum ex scriptis *Celticis*, tum ex amicorum ad *Celtem* epistolis in nostro cod. msc.; quae distinctius alias proferemus.

Nunc solum generatim adnotamus: de hisce sodalitatibus pauca esse, quae nobis satis constent. Nihil sane certum, exploratumque habemus, de tempore, quo praecise coaluerint haec sodalitia, nihil de legibus, statutis eorum ad nos pervenit. *Rhenanae* et *Danubianae* societatis quosdam sodales ex *Roswithae* et *Apuleii* operibus a *Celte* editis cognovimus. Aliorum coetuum vix unius alteriusve socii nomen nobis cognitum est; multo minus, quinam fuerint eorum contuberniorum principes. *Jo. Dalburgium* principem fuisse sodalitatis Rhenanae, et *Jo. Vitezium* Danubianae, dubio caret. At vita functo *Jo. Dalburgio* an. 1503, et *Jo Vitezio* an. 1499 nemo legitur

successisse. Habuit equidem sodalitas *Rhenana*, quae etiam *Celtica* appellatur facultatem censuram ferendi de operibus, studio sodalium elaboratis, imprimendisve: gavisa pariter fuit privilegio, a statibus imperii impertito, quo cavetur, nequis illa recudere ausit. At nulla dote satis fuerat cautum, ut diu, aut perpetuo durarent, hujusmodi sodalitates. Quam ob rem intelligimus, variis intervenientibus causis, uti coiverunt, ita dissiluisse; sodalibus aliis alio migrantibus, aut morte ereptis, cum *Celte* an. 1508; ita quidem, ut *Maximiliano* Imp., e vivis sublato an. 1518, pleràque id genus sodalitia finem habuisse videantur, cujusmodi sunt: *Wittenbergensis*, *Eobana*, *Colimitiana*, *Argentoratensis*, aut *Selestadiensis*, *Erfurtensis*, *Bavarica*, *Augustana*, atque aliae id genus coloniae, aut filiae, aut aemulae.

II. *Septenariae sodalitati litterariae* in hoc libello succedunt *Ausonii sententiae septem sapientum*, septenis versibus explicatae. Cujusmodi fuerit exemplar, utrum typis excusum, an exaratum calamo, quo usus est *Celtis* in recudendis hisce sententiis, non indicavit. Neque constat, qualis ille *Ausonii* codex fuerit, quem *Celtis* ab *Augustino Morano* commodato acceperat; velut intelligtur ex *Augustini* ad *Celtem* epistola an. 1498 in msc. nostro codice epistolari. Opinatur *Denisius* p. 12. *Wiens Buchdr.* hausisse *Celtem* sua vel ex msc. codice, vel ex *Ausonii* editione *Parmensi* an. 1499, quae prima fuerit complexa illos septem Sapientum aut *sententias*, aut *ludos*; quibus quidem caruerint hae, quae praecesserant, *Veneta* anno 1472, *Mediol.* 1490, *Venet.* 1494, 96, 98. Unde textum earumce sententiarum fuerit *Celtis* mutuatus, apertum est, codice usum fuisse non optimae notae. Damus exempli loco sententias *Biantis*, qui in numero Sapientum primus ponitur, explicatos ab *Ausonio* septenis versibus; sed non *elegiacis*; quemadmodum perperam loquitur in praef. ad editionem *ad usum Delphini Joannes Baptista Souchay*.

BIAS PRIENEUS.

Quaenam summa boni? mens quae sibi conscia recti
Pernicies *hominum* 1) quae maxima? solus homo alter.
Quis dives? qui nil *cupiet* 2). Quis pauper? avarus.
Quae dos *matronis* 3) pulcherrima? vita pudica.

Lectiones variae ex edit. *ad usum Delphini* Paris. 1730. 1) *Homini*. 2) *Cupiat*. 3) *Matronae*.

Quae casta est? de qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? cum possit, nolle nocere.
Quid stulti proprium? non posse, et velle nocere.

In sequentibus varietas deprehenditur longe major. In *Chilone* mutili occurrunt versus. Versiculus integer desideratur. Alii ita propositi, ut sanus inde sensus haud redeat. Quae nos in eam cogitationem adducunt, ut arbitremur, e codice negligentius scripto *Celtem* delibasse. Non enim existimandum est, horrere *Parmensem* editionem tot tamque foedis maculis; cui emendandae operam dedit *Thaddaeus Ugoletus*, socia studia eodem conferentibus *Matthaeo Bosso*, et *Angelo Politiano*.

III. Adjungitur *Ludus septem Sapientum*, ab *Ausonio* e graeco translatus, ad *Drepanium Pacatum*, Proconsulem. Quo se modo habeant isti ludi, adducto in medium exemplo, ostendimus. Seligimus rursus *Biantem*, qui in Sapientum choro, nunc inter ludentes quarto loco comparet; huncque in modum fabulatur:

BIAS.

Bias Prieneus dixi:
Latine dictum suspicor: 1) *Plures mali.*
Dixisse nollem. Veritas odium parit.
Malos et imperitos dixi et barbaros,
Qui jus, 2) aequum, 3) actos mores negligunt.
Nam populus iste, quo theatrum cingitur,
Totus *beatorum* 4) est. Hostium tellus habet.
Dixisse quos me *credite* 5) plures malos.
Sed nemo quisquam tam malus judex *fuit,* 6)
Qui non *amborum* 7) partibus se copulet:
Sive ille vere bonus est: seu dici studet:
Jam fugit 8) *illum invisum nomen mali.*
Abeo. Valete, et plaudite! *Plures boni.*

Lectiones variae ex codice *Parisiensi ad usum Delphini* 1) Desunt graeca: *οἱ πλεῖστοι κακοί,* 2) *et.* 3) *et.* 4) *bonorum.* 5) *creditis.* 6) *fuat.* 7) *bonorum.* 8) *illud nomen invisum mali.*

IV. Quae attexitur *Ausonianis* carminibus *epistola sancti Hieronymi*, inscripta est *Magno*, oratori urbis Romani. Quaesiverat *Magnus*, ut videtur monente *Rufino*, cur in operibus suis saecularium litterarum exempla poneret, et testimonia, ethnicorumque sordibus pollueret candorem ecclesiae. Reposuit beatus *Hieronymus*, apud *Moysen*, *Salomonem*, et prophetas occurrere loca, e gentilium delibata libris. Sanctum *Paulum* provocasse ad testimonia paganorum poetarum *Epimenidis*, *Menandri*, et *Arati*. Patres ecclesiae Christianae se antiquiores, *Justinum*, *Methodium*, *Clementem Alexandrinum*, *Eusebium*, *Apollinarem*, aliosque non paucos, usos esse sententiis et auctoritate gentilium scriptorum multo liberalius. Addit, se sperare veniam, si, horum exemplo, spolia Aegypti ad rem Christianam transferre adnitatur.

Quibus adductus causis, adjunxerit *Celtis* Stridoniensis presbyteri hanc epistolam, facile conjectabit, quicunque temporum illorum habuerit rationem. Qui ea tempestate valebant litteris, easdemque propagare latius, atque animis adolescentium, de quibus bona spes erat, instillare constituerant, duce potissimum *Celte* inierant inter se sodalitium. Qui in eum coetum adscribebantur, abdicato plerique gentilitio nomine, nomen novum sibi imponebant sive Latinum, sive Graecum, quod blandius quodammodo, jucundiusquo in aures influeret, quo excitarentur ad aemulationem veterum, Latinorum, Graecorumve. His accedit, quod, qui informandae ad humanitatis studia juventuti dabant operam, nihil magis habuerint in ore, nihil impensius commendaverint, quam lectionem et imitationem profanorum auctorum, in quibus plena omnia, diis, deabusque gentilium, et idolatrica superstitione. Hinc quasi occultae conspirationis rei, adversus rem Christianam, malevolorum tum invidia, tum ignorantia imperitorum, proditae religionis suspecti habebantur. Ut hanc criminationem a se, suisque sodalibus depelleret, atque disciplinas liberales, potissimumque artem poeticam ab impactis oblatrantium calumniis tueretur, sancti *Hieronymi* proposuit exemplum, ejusdemque epistolam, qua semetipsum in simili accusatione defendit, gentiliumque philosophorum, et poetarum causam egit, publici juris fecit. Pari ferme inductus ratione eandem epistolam suo *Antibarbarorum* libro inseruit *Erasmus*. De epistola eadem legi meretur *Commercium epistolare Uffenbachianum* P. III. p. 42, 45, 47.

Ejusdem fere argumenti est oratio S. *Basilii* M. de studiis poetarum et oratorum, seorsim non semel edita, ad eandem retundendam expostulationem. Apud *Theophilum Sincerum* p. 10. P. III. Notit. hist. crit. longa recensetur series eorum, qui exposuerunt, quà ratione liceat, ex gentilium librorum lectione profectum capere. Huc revocantur *Stollius*, *Dietericus*, *Selneccerus*, *Gerhardus*, *Claudius Espencaeus*, *Aretius*, *Rhodiginus*, *Hertelius*, *Joa. Galensis* Anglus etc.

V. Opusculi clausula: *Impressum Viennae ductu Conradi Celtis Anno Millesimo Quingentesimo seculari. Denisius* addit: *Winterburgeri* Typographi *characteribus formae minoris.* Post *Schierium* adnotavit *Denisius Maittairii*, bibliographi Galli lapsum repetitum, qui in eundem impingens lapidem, semel iterumque affirmaverit, *Celtem* fuisse typographum. Cui quidem hallucinationi ansam praebuit illa phrasis, quae in clausula mox allegata occurrit: *Ductu Celtis.* Constat autem inter litteratos, quod pluribus comprobare facile foret, ea loquendi formula non innui typographum; sed designari auctorem, editorem, aut etiam redemptorem libri, id est, eum, qui suis sumptibus opus publicavit. Aeque est a vero alienum, habuisse *Celtem Norimbergae* propriam typographiam, propriumque bibliopolium; quemadmodum perperam scribit *Georg. Matth. Schnizerus* p. 24. Anzeige II. der kirch. Bibl. zu Neustadt an der Aisch.

CAPUT XIII.

PROPOSITIONES DOMINI CARDINALIS CUSAE, DE LI: NON ALIUD.

CONRADI CELTIS CARMEN SECULARE (1500).

FOL. 4. CHAR. ROM.

Anno 1500 luci expositum fuisse hoc opusculum, ex *Celtis* adjuncto carmine seculari conjicimus, in cujus initio ita canit: *Orbe centeno modo solis axis currit.* Amisisset certe novitatis gratiam, serius si comparuisset. *Viennae* ex typographeo *Joannis Winterburgeri* prodiisse infert *Denisius* ex formulis litterarum, queis *Viennensis* ille typographus uti consueverit. Eam in rem refertur, quod littera *i* non puncto superius addito, sed lineola, sinistram spectante notata conspiciatur. Relinquamus ista his, qui ea in re acutius vident. Praeter *Denisium* nullum reperi bibliographorum, qui de antiquo hoc, minimaeque molis monumento litterario fecerit mentionem aliquam.

I. Priorem in hoc libello locum tenent: *Propositiones reverendissimi Domini Nicolai Cardinalis de virtute ipsius: Non aliud.* Sunt id genus propositiones numero viginti; quarum altera alteram subtilitate, et obscuritate superare videtur. Sint exempli loco propositiones duae: II[da.] „Quisquis „videt, verissimum esse, quod definitio est non aliud, quam definitio: „is etiam videt, ipsum non aliud definitionis esse definitionem. III[tia.] Qui „videt, quod non aliud est non aliud, quam non aliud: videt, non aliud „definitionis esse definitionem se definientem." Atque hoc pacto, quasi per gradus quospiam subtilitates continuantur, et crescunt, usque ad propositionem vigesimam, quae ita incipit: *Quando mens considerat, non calidum calefieri, et frigidum calefieri per intellectum attingit non calidum per sensum frigidum;*

et videt, non esse idem, etc. Desino, ne abutar otio, aut patientia lectorum. Quemadmodum observat *Denisius*, silent de his Cardinalis *Cusani* propositionibus *Trithemius* ejus conterraneus, et alii. Verum testatur, commemorari ab *Honthemio Dialogum Cusani*, *de non aliud*, *Romae* compositum. Unde suspicatur, excerptas esse has viginti propositiones.

Mirari subit, quo consilio, aut cui bono *Celtis*, quo nemo magis abhorruit ab id genus dialecticorum spinosis subtilitatibus, eas *Cusani* propositiones typis vulgandas susceperit; si tamen suscepit.

Etsi vero negandum non sit, Cardinali *Cusano doctam quandam tam in verbis quam in sententiis* familiarem ac *amicam fuisse obscuritatem;* velut de eo scribit *Sixtus Senensis* in Bibl. sancta; ita quidem, ut rectissime pronuntiaverit *Denisius*, vix fuisse ex ulla natione alia quemquam doctum, qui subtilitate eum superaverit: dubium tamen non est, omni fere alio disciplinarum utilium genere fuisse eum apprime excultum. Quis, quamque eruditus is cardinalis fuerit, refert testis coaevus, vir doctissimus, *Andreas Aleriensis* episcopus. Is in epistola ad *Paulum* secundum, Pont. Max. praefixa *Apuleio*, anno 1469, *Romae* edito, haec habet de *Nicolao Cusano*: „Tanta, „inquit, doctrinarum omnium ubertate *Nicolaus Cusensis*, cardinalis, quod „est dictu mirabile, fuit, ut, quidquid ex tempore dicendum incidisset, „tali id semper ille copia edissereret, ut ei solum facultati censeretur „studuisse. Vir ipse, quod rarum est in Germanis, supra opinionem „eloquens, et Latinus: historias idem omnes, non priscas modo; sed „mediae tempestatis tum veteres, tum recentiores, usque ad nostra tem„pora memoria retinebat. Gesta praecipue conciliorum omnium, ecclesia„sticam scilicet historiam, non summatim, sed per capita singula, et veluti „diarias ipsas actiones, examussim crebro referebat. Rerum origines, „quasi Christianus *Cato*, et facti cujusque ordinem explicabat; ut vel unica „ista re videri facile quiret admirabilis. Quae tamen majoribus ceteris „comparata, inter illius laudes locum sibi minimum vindicabit. Poetas, „et oratores dissimulabat sane; verum, ut erat ingenio peramoeno, „nequaquam ignorabat. In disciplinis mathematicis suo tempore „*Nicolao* doctior fuit nemo. Quod quidem viri illius testantur scriptiones.

„Jus civile, et pontificium recte, pureque didicerat, et, ut immortali atque „aeterna memoria erat, tanquam tum primum ex illorum studiorum officina „prodiisset, memoriter sanctiones, et patrum decreta omnia, et doctorum „insuper sententias recitabat. Philosophiae *Aristotelicae* acerrimus, dispu„tator fuit; *theologiae* vero Christianae summus interpres, et magister, „et cœlestis arcani antistes sapientissimus. At *Platonis* nostri, et *Pytha„goreorum* dogmatum, ita cupidus, atque studiosus, ut nemo magis illi „scientiae putaretur intendisse.“ Aegre mihi tempero ab exscribendis ceteris, quae in hominis, nominisque Germani summam cedunt gloriam.

Praetermittere tamen non possum id, quod in alia ejusdem *Aleriensis* legi epistola, data ad eundem summum pontificem *Paulum II.*, praemissa Tomo I. epistolarum sancti *Hieronymi Romae* an. 1468 per *Conr. Schweinheim*, et *Arnoldum Pannarz*. Cetera inter scribebat *Aleriensis*: *Ejusmodi est impressorum nostrorum, es characteres effingentium artificium, ut vix inter hominum inventa, non modo nova, sed vetera quidem quidquid excellentioris inventi possit referri. Digne honoranda, seculisque omnibus magni facienda profecto Germania est, utilitatum inventrix maxima. Hoc est, quod semper gloriosa illa, et cœlo digna anima Nicolai Cusensis Cardinalis ad vincula sancti Petri peroptabat, ut haec sancta ars, quae oriri tum videbatur in Germania, Romam deduceretur.* Quae, quia libenter legi in epistolis *Aleriensis* episcopi, qui sex annos continuos in obsequio erat *Nicolai Cusani*, Germani Cardinalis, mihique placuerunt: ea exscribenda, hucque transferenda putavi, ratus, his, qui nostra legent, eadem injucunda non fore. Finio longum de *Cusano* sermonem, brevi *Celtis* disticho, quod in laudem *Trithemii*, et *Cusani* habet Lib. III. Eleg. XII.

His ripis duxit clarus *Trithemius* ortum:
*Cusa*que Mosellae qui decus omne fuit.

II. *Cusani* propositionibus adjunctum est *Celtis carmen seculare* pro incolumitate imperii Germanici, decantatum an. 1500. Sapphica haec Ode, composita ad imitationem *Horatiani* carminis similis argumenti, constat strophis 24, quae respondeant *numero horarum* diurnae revolutionis. Quemadmodum *Horatius Phoebo* potissimum atque *Dianae* dicavit hymnum suum,

rogavitque pro salute imperatoris: ita *Celtis* suis versibus se convertit ad quatuor *elementa,* ad *planetas* septem, atque duodecim *signa Zodiaci*, precibusque sollicitavit ut Germanis terris faveant, influxu amico juvent, mala quaeque avertant, et bona quaevis largiantur.

Mercurium stropha *quarta* rogat poeta noster, ut Germaniae artes, et scientias inferat:

Quique contectus vafer es galero
Aliger linguas doceas, et artes
Et lyram nostras fidibus canoris
Infer ad oras.

Octava autem stropha, quae succedit, *Jovem* alloquens, precatur salutem et incolumitatem imperatori *Maximiliano:*

Jupiter totus duce quo stat orbis,
Maximum serves rogo *Aemilianum,*
Qui suas terras regit, ut tuo tu
Numine coelum.

Posterioribus duabus strophis convertit se poeta ad Deum, ac carmen ita claudit:

Tuque, quo constant vagabunda coeli
Sydera, et quidquid spatiosus orbis
Continet, nostris precibus benignas
Des precor aures.

Nos tuum nomen fugit, et potestas,
Quisquis es, curas habeas benignas
Rebus Almannis: tibi multa fumant
Templa per urbes.

Videtur *Celtis*, dum de Deo canebat; *Nos tuum nomen fugit, et potestas: Quisquis es etc.* respexisse dictum *Simonidis* apud *Tullium;* aut illud *Timaei* apud *Platonem: Quid Deus non sit, scio; quid autem sit, nescio.* Eodem fere redit, quod *Dionysius*, vel quisquis auctor Christianus, scribebat Cap. I.

de divinis nominibus: *Universaliter incomprehensibilis est Deus: neque sensus ejus est, neque opinio, neque nomen.* His similia occurrunt in *S. Augustini*, aliorumque Patrum operibus; aeque ac in libris scholasticorum, qui contenderant, *Deum poni non posse in praedicamento substantiae: neque posse definiri*; eo quod careat genere et differentia: nec esse *nominabilem*: esse *actum purum* absque potentia; et quae sunt id genus alia, quae recentioris philosophiae cultores recoxerunt diebus nostris, propter eaque male audierunt apud non paucos; quasi de Deo, ejusque perfectionibus sentirent indigne.

Uti carminis initium: *Phoebe centeno* etc. ut supra monui, tempus denotat, quo est elaboratum, nimirum an. 1500: ita versiculi ad calcem ejus appositi designant locum, ubi est contextum.

Haec ego in Austriaca cantavi carmina terra.
Alpica quam Styrius, tectaque Carnus habet.

Versus hexameter in collectione Odarum *Celticarum*, nonnihil immutatus, ita se habet:

Haec ego in Hercinia cantavi carmina sylva.

Sunt quoque in ipso carmine seculari quaedam emendatiora in Odarum sylloge; ut conferenti patet. Repetitis typis idem carmen apparet in *Deliciis Poetarum.*

Quae anno 1500, die 7. Sept.. ad *Celtem* scribebat *Udalricus Cervinus*, confirmant editionis tempus; dum in fine haec habet: *Anno seculari, quo secularia, numine Phoeboeo annuente, carmina scribuntur.* Quibus verbis ad *Celtis* seculare hoc carmen allusisse recte putatur.

CAPUT XIV.

OPERA ROSWITHAE,

ILLUSTRIS VIRGINIS, ET MONIALIS GERMANÆ, GENTE SAXONICA ORTÆ, NUPER A CONRADO CELTE INVENTA (NORIMB. 1501.)

FOL. CUM FIG. CHAR. ROM.

....

Erat *Roswitha* virgo Vestalis in parthenone *Gandersheimensi* apud Saxones, *Ord. S. Bened.* dioeceseos *Hildeshemiensis* seculo X. Haud immerito miratur *Celtis* germanae mulieris in illa barbarie tantum doctrinae, et eruditionis: quippe quae Latina oratione, et versu loqueretur; neque rudis esset in re musica, atque mathematicis disciplinis. Quodsi non ubivis tulit omne punctum, neque satis polita sunt omnia: id indulgendum puellæ, tribuendumque aetati, qua illa vixit.

Asserit quidem *Celtis*, se *Roswithae* opera, sepulta diu, invenisse in monasterio quodam *Benedictini* instituti: at quodnam illud fuerit, nescio qua adductus ratione dissimulavit. Nos vero, haud dubiis edocti monumentis, certi sumus, litterarias hasce opes *Celtem* invenisse *Ratisbonae*, apud *Benedictinos ad S. Emmeramum;* ab eisque accepisse commodato. Lubet Benedictinorum *Ratisbonensium* hac de re testimonium huc transscribere. „Ego Fr. *Laurentius Aicher*, Prior cœnobii *S. Emmerami*, Ord. S. Benedict. „et Fr. *Erasmus Australis*, ejusdem monasterii et ordinis professus et sacer„dos, recognoscimus per praesentes litteras, nos ex favore et benevolentia „*Conrado Celti* poetae ad usum et utilitatem suam accommodasse librum „quendam, in quo continetur metrice, et prosaice editio cujusdam monialis, „quem ipse proprio chirographo nobis promisit *se redditurum*, postquam „usus fuerit: et *Norimbergae* provido viro ibidem civi *Friderico Rosenritter* „praesentavit. In hujus rei testimonium hanc chartam ego praedictus Prior „sigillo Prioratus communivi. Datum *Ratisponae* in nostro cœnobio, quinta „feria ante festum Purificationis Virginis *Mariae* anno salutis 94."

Codicem ipsum quod attinet, profitetur *Celtis*, antiquitate venerandum esse, sexcentorum, nunc dicere possumus nongentorum annorum, referendumque ad tempora *Ottonis I.* Imperatoris: conscriptum littera ferme Gothica, Germanae mulieris manu. Codex, ut porro adnotavit *Celtis*, in eo litterarum genere haud satis exercitatis lectu difficilis est intellectuque; velut cum ponitur *sois* pro *sibi; tis* pro *tibi: mis* pro *mihi: debrius* pro *ebrius;* et quae sunt id genus plura.

CONTENTA:

1) Ad *Fridericum* Saxoniae Ducem, et Romani imperii principem electorem *Conradi Celtis* praefatio epistolaris.

2) Sodalitatis litterariae epigrammata in opera *Roswithae.*

3) *Comoediae* sex in aemulationem *Terentii.*

4) Octo sacrae *historiae*, versibus elegiacis.

5) *Panegyricus* versibus heroicis in laudem *Ottonis* Magni, primi in Germania imperatoris.

6) *Imagines*,

7) Operis clausula.

I. Epistola nuncupatoria, aut praefatio in opera *Roswithae* verbosa est: at lectu non indigna. Spirat undique amorem patriae, ac *Celtis*, quo ardebat, studium in provehendis apud Germanos bonis artibus, ac melioribus litteris. Eo quidem consilio asserit, se peragrasse Germaniam universam, longis et difficilibus peregrinationibus, non sine jactura sui peculii, prosperaeque valetudinis: Italorum se exemplo excitatum, lustrasse bibliothecas, praecipue monasticas, ut indagaret, qui cum situ, pulvere, carie, blattis, tineisque diu certassent, codices sive Graecos, sive Latinos; quos posset ope artis typographicae, in plura exemplaria transscriptos, cum hominibus nostris communicare. Idque se potissimum decere, qui *Friderici* Saxonis *ductu et monitu*, ex Imperatoriis manibus, inter Germanos primus lauream Apollinarem tulerit. Addit, se nuper reperisse in quodam cœnobio *Roswithae* opera. Exhibuisse ea in *Norimbergensibus* comitiis *Friderico* Saxoniae electori;

qui thesauro recens invento ita fuerit oblectatus, ut jusserit, curaritque typis excudi; dedicanda nemini majore jure, quam ipsi: si quidem in terris Saxonicis, a virgine patria Saxone liber sit compositus, conscriptusve. Postea effunditur *Celtis* in laudes sui Maecenatis, quas praeterimus: illis solum adnotatis, quae propius huc pertinent: Si quando, inquit, a republica vacas, mirum tuum in litteras studium est. Nunc poetas, nunc oratores, et historiographos, jam medicos, et theologos, nunc jurisperitos audis, legis, et illis oblectaris. Nunc in mathematicae disciplinis, numeris, et mensuris, et astrorum observationibus, et naturis et motibus delectaris. Musicam et picturam, et eas, quas Graeci et Latini in admiratione, et maximo cultu habuere, earumque artium egregios magistros tuis donis, et muneribus ornas, et accumulas. Tandem, postquam commemoraverat, sodalitatem litterariam a senatu Caesareo in comitiis, singulari, ac ejus generis primo, munitam fuisse privilegio, ut nequis opera a sodalibus litterariis edita, recudere ausit, ita finit: *Vale ex Norimberga, Augusta Praetoria, diversorio nostro litterario, aede Bilibaldi Pirckhamer, utriusque linguae et philosophiae studiosissimi.*

II. *Praefationem*, sive epistolam nuncupatoriam proxime excipiunt *Sodalitatis litterariae epigrammata, in Norimbergae conventu Principum, et decretoriis Imperii diebus constituta. In opera Roswithae, clarissimae virginis, et monialis Germanicae.*

Quemadmodum supra socios sodalitatis litt. *Danubianae*, qui occurrunt in *Apuleio Celtis*, recensuimus; ita nunc ratione pari versari lubet in indicandis sodalibus societatis *Rhenanae*, quorum fit mentio in *Roswithae* operibus, quibus praefixa sunt *epigrammata*, eorum insignita nominibus. Eos quidem, qui abunde noti sunt in republica litteraria, tangemus paucis; nonnihil longiores futuri in aliis, non tam late cognitis.

JOANNES DALBURGIUS,

Wormatiensis episcopus sodalitatis litterariae per universam Germaniam Princeps.

Quae paucis aetas concessit patria sexus,
Roswitha virgineo praestitit ingenio.

Aliud ejusdem.

Afro laus scenae: lyra *Flacco:* bella *Maroni:*
Multiplicem laurum *Roswitha* docta gerit.

Dum *Joannes Dalburgius* dicitur *per universam Germaniam sodalitatis litterariae Princeps:* opinamur, *septenariam* illam litterariam sodalitatem, de qua supra, nonnisi *unam* fuisse, aut unius ejusdemque surculos plures, sub uno duntaxat Principe. Habuerat equidem *Danubiana*, ut vidimus, Principem proprium, *Joannem Vitezium*: at, post ejus obitum, videtur unita ceteris, sub eodem Principe *Joanne Dalburgio.*

JOANNES TRITHEMIUS, *abbas in Sponheim.*

Cur non laudemus Germanae scripta puellae?
Quae si Graeca esset: jam Dea certa foret.
Adde, quod hos cecinit quam prisco tempore versus:
Hinc sexcenteno Phoebus ab orbe redit.

Priusquam *Celtis Roswithae* opera typographo excudenda traderet: ea impertitus est *Joanni Trithemio,* qui ut exemplum haberet rari codicis, eum descripsit, reponendum in bibliotheca, tanquam pretiosum rei litterariae thesaurum; velut perspicuum est ex *Jo. Trithemii* epistola ad *Celtem*; in cod. nostro msc. epistolari.

HENRICUS DE BUNAW.

Quantum Germanis faveant pia numina coeli,
Hac nunc in docta virgine nosse potes.
Haec veteres sanctos vates veneranda recenset:
Et plus quam Sappho carmina casta canit.

Henricus a Bunaw, Trithemio Lib. II. ep. 6. dictus *miles et orator Friderici* Saxon. elector.: a *Burckhardo* p. 280, P. II. de fatis L.L. relatus *inter meliorum litterarum amantissimos equites, et strenuos vindices.* Acceperat *Henricus, Wormatiae* crure fracto tum decumbens, a *Trithemio* codices nonnullos, commodato sibi datos; quos ante obitum, *more suo*, non restituit. Egit apud *Fridericum* Saxoniae electorem *Trithemius,* ut defuncti haeres compelleretur, ad reddenda

volumina. *Henricum* vita functum esse ante annum 1506, ex eadem *Trithemiana* epistola intelligitur. Nobis suppetunt *Henrici Bunaviani* epistolae duae msc. *Wormatia* datae ad *Celtem* an. 1495 et 1496. Petiit Graecorum institutiones grammaticas, et libellos alios mathematici argumenti.

HOLOLYKOS DE STEIN: *alias* EYTELWOLFF.

Hac de Germana quid Graie, quid Itale sentis?
Non minus ac vestrae verba Latina canit.

Hololycus de Stein (a lapide) alias *Eitelwolffus* appellatus, ortus e nobili apud Suevos familia *Steiniana*, quae adhuc viget, inter Germanos equites, ad debellandam barbariem, primos duxisse ordines perhibetur. Ejus biographiam refert *Adamus* in vitis Jureconsultorum. Multa pariter de eo invenire est apud *Burckhardum*, tum in comment. de vita *Udalr. Huttenii* tum P. II. de fatis L. L. Nos unum duntaxat adjungimus, quod *Eitelwolfii* nomen attinet. Contendit scriptor anonymus etymologiae Germanicorum nominum, nomina propria desinentia in *olff*, *ulff*, vere Germanica esse; quod adductis exemplis illustrare nititur: *Quod hodie*, inquit, exstat in usu *Eitelhülff*, vitiose *Eitelwolff*; quasi diceres: *Plenum, et merum auxilium.* Unde foret consequens, illud nomen perperam Graece reddi Ὁλολυκος. Confer *Taciti Germ.* editore *Fabricio* Aug. Vind. 1580.

BILIBALDUS PIRCKHAMER, NORIMBERGENSIS.

Εἰ Σάπφω δεκάτη Μουσάων ἐςὶν ἀδόντων,
Ῥόσβιθ ἐνδεκάτη Μῦσα καταγράφεται.

Ejusdem traductio.

Si Sappho decima est Musarum dulce canentum:
Roswitha scribenda est undecima Aonidum.

Ad *Bilib. Pirckheimerum*, *Celtis* hospitem, dum erat *Norimbergae*, solum addimus, duas ejusdem epistolas ad *Celtem* servari in eod. msc. epistolari; alteram referri ad annum 1503, alteram ad annum 1504. Utrumque fere totum versari in litteratura Graeca. Agit de *Philostrato*, et *Apollonio Tyaneo.* Repetit *Homerum*, quem *Celti* commodato dederat. Affirmat, a se nuper e Graeco in Latinum esse conversum *Isocratis Demonicon.* Prommittit *Celti*

exemplaria plura; ut primum e prelo exierint. Nuntiat, a *Bernardo Balthero* novas observationes, astrorum cursum attinentes venditari; habere se omnes Graecos libros, qui in Italia typis vulgati sunt. Judaeum illum, qui Christianae pietati initiatus erat, cujus opera in Biblia Hebraica, Graeca, et Latina *Aldus* se usurum sperabat, poenitentia ductum aufugisse.

JOANNES THOLOPHUS, PRAEPOSITUS.

Ut lyra Threiicio concessit carmina vati,
Quae micat Arctoo fulgida stella polo:
Haec eadem influxit *Roswithae* verba, chelynque.
Nata ex Saxonicis casta poeta plagis.

De *Joanne Tholopho* egimus lib. I. cap. XVI. not. *f.* Nunc perspicimus, eundem socium fuisse sodalitatis *Rhenanae;* quemadmodum etiam *Danubiae.* Vide supra cap. X.

HENRICUS GRONINGER.

Invide, divinos non cessas carpere vates,
Tanquam mendaces, vaniloquosque viros?
Nonne vides, quantum haec monialis carmine possit,
Historias sacras virgo diserta canens.

Quis fuerit *Henricus Groninger, Grieninger,* suae *Norimbergae* cap. 12 exposuit *Celtis,* disserens de scholis *Norimbergensibus.* „Accedit, inquit, ad „Italicarum urbium morem, et imitationem: pro ingenuis pueris, et ado„lescentibus erectum stipendium centum aureorum; quo vir in Romanis „litteris eruditus in poetica et oratoria, in publica domo legit. Ad id „stipendium primus *a-Monaco-Henricus Greningerus* vocatus: vir in Romanis „litteris exquisita doctrina, olim in Italia institutus: vita et morum „honestate conspicuus, et singulari humanitate et modestia praeditus. Ejus „erectionis et stipendii auctor apud Senatum genitor hospitis mei *Joannes* „*Pirckheimer,* utriusque juris professor fuit.“ Sunt in hoc *Celtis* testimonio quaedam, quae nonnullis fuerunt fraudi. *Willius* in Lexico contendit, vocatum fuisse *Groningerum ex Monaco* i. e. ex monachatu; succensetque *Zeltnero* quod per *Monacum, Monachium,* urbem *Monacensem,* intellexerit;

sed in re evidente nolumus profundere verba. Exstat in cod. msc. epistola *Groningeri*, quae *Celtis* de illo judicium confirmat. Ejus *Epitomen* Grammaticam refert *Willius*.

JOANNES WERNERUS.

Roswitha Germanis nunc maxima gloria terris,
Carminibus Latios nectere docta modos:
Nec minus et voces describit culta solutas,
Libera *Terencii* comica facta sequens.

De *Joanne Wernero*, qui ordini ecclesiastico erat adscriptus, uno ex celeberrimis Germaniae mathematicis, nonnulla supplemus, quae praetermisit *Willius* in Lexico erud. Norimb., cujusmodi sunt: 1) fuisse eum sodalem societatis litter. *Celticae*; 2) plurimum valuisse apud *Joannem Dalburgium*; 3) a *Celte* invitatum *Viennam*, ut professorem ibi ageret litteraturae Graecae; 4) id muneris recusasse, tum quod de stipendio non esset satis cautum: tum quod vetulo, infirmoque patri facilius opitulari *Norimbergae* posset; 5) ad translationem geographiae habuisse se codicem *Ptolemaei* a *Celte* sibi commodatum; 6) *organum* illud in geographia mirandum, utilissimumque, quod *Ptolemaeus* *μετεωροσκοπειον* appellat, ex materia se fabricasse; 7) Se *Celtis* judicio *Ptolemaei* traductionem, una cum scholiis submissurum. Haec quidem potissimum hausimus ex duabus *Werneri* epistolis ad *Celtem* in cod. msc. epp.

MARTINUS MELLERSTADT, *alias* POLICHIUS, *medicus*.

Gloria quanta fuit magnis *Ottonibus* armis:
Gloria tanta tibi *Roswitha* in historia.

De *Martino Mellerstadio* occurrit sermo passim apud historiae litterariae scriptores. Unum quod ad rem nostram attinet, adjungimus, *Celtis* videlicet, qui familiaritate ac amicitia conjunctus erat *Mellerstadio*, populari suo, fortunam omnem ab illa cum *Mellerstadio* conjunctione repetendum esse. Per *Mellerstadium* innotuit *Celtis* *Friderico* Saxoniae duci; cujus monitu et hortatu ab Imperatore *Friderico* tulit coronam lauream. Unde cetera illius fata. Recolenda hic ea, quae diximus ad *Celtis* artem *versificandi et carminum*.

CONRADUS CELTIS.

Si proba magniloquum cogens centone *Maronem*,
Atque aluit, doctum quos tulerat Latium:
Hanc nostram legerent Saxono sanguine cretam:
Nostrae laudassent carmine vatis opus.

Celtem fuisse principem *Danubianae* Sodalitatis, quemadmodum *Bohuslaus Hassensteinius Leucopolitanae*, tradit *Mellerstadius* in Laconismo tumultuario. *Adest*, inquit, *litteraria phalanx, Danubiana, Leucopolitanaque; quarum imperatores et praefecti existunt* **Conradus Celtis**, *et illustris ille Bohuslaus Hassensteinius, qui nuper communi suffragio, postquam Matthaeus Lupinus, heu nimium mature occidit, eam praefecturam administrare cœpit.*

JOANNES LATERANUS.

Olim in Arctoa generata terra
Saxonae gentis generosa virgo,
Cujus antiquum memoratur esse
Roswitha nomen.

Illa divinos cecinit calores,
Martyrum faustas modulata vitas,
Arte quam magna, Druidumque gesta
Docta recenset.

Quam sacro denam numero sororum
Phoebus adscripsit miserans laborum,
Et sibi dignos cumulans honores
Laude perenni.

Nuspiam inveni mentionem aliquam de *Joanne Laterano* (fortasse *Ziegler*) apud biographos, quos in promptu habeo. Ex *Joannis* tamen *Werneri* epistola ad *Celtem* an. 1501 colligitur, fuisse *Jo. Lateranum* matheseos in primis studiosum, peritumque, eodemque anno 1501, quo Opera *Roswithae* carmine suo Sapphico ornavit, vita fuisse functum. Constat ex eadem *Werneriana* epistola, *Joanni Laterano* fuisse fratrem *Jacobum* dictum, qui, cum *Viennam* abiret, *Celti* impensius fuerit commendatus a *Jo. Wernero*, qui testatur,

studiis mathematicis esse excultissimum, defuncto fratre suo in eo litterarum genere haud inferiorem, immo talem, ex cujus conversatione ipsemet haud parum in iisdem disciplinis profecerit in melius. Tandem ex *Sebaldi Clamosi* epistola ad *Celtem* an. 1503 intelligo, epitaphia quaedam in obitum *Joannis Laterani* scripta fuisse a *Celte* et *Trithemio*; quae *Clamosus* miserit ad *Jacobum Joannis* defuncti fratrem.

JOANNES STABIUS, *mathematicus Ingolstadiensis.*

Barbara nostra licet dicatur patria tellus,
Expers et Graji dogmatis et Latii:
Attamen hoc calamo potuit Germana virago
Roswitha, quod Latii vix potuere viri.

De *Joanne Stabio* quaedam nuper attulimus; ubi de sodalitate *Danubiana.* Rursus percipimus, quosdam ex iis, qui *Danubianae* societati adscripti fuerant, socios pariter fuisse sodalitatis *Rhenanae.*

URBANUS PREBUSINUS.

Quanta fuit Grajis Sappho doctissima Musis:
Tanta fuit Latiis *Roswitha* carminibus.

De *Urbano Prebusino*, litteratoribus fere incognito, reddo, quae habeo. In epistola msc. ad *Celtem*, an. 1494 *Ingolstadio data*, vocat *Urb. Prebusinus* *Celtem* praeceptorem suum. Videtur *Ingolstadii* docuisse aliquamdiu: quia meminit in eadem epistola discipulorum; petivitque a *Celte*, commendari favoribus *Cancellarii*, ut impetraret *tertiam* aut *quartam* partem *praemii* (stipendii) *Celtici*; quod *Celtis* anno superiore abdicaverat. Asserit, se aliquando *ex Vratislavia* scripsisse ad *Celtem*, tum *Cracoviae* morantem. Ex epistola autem *Jac. Dracontii Heidelbergae* exarata ad *Celtem* an. 1497 edoceor, *Urbanum Prebusinum* auctorem fuisse orationis adversus eos, qui nomine tantum philosophi sunt, palam illis diebus recitatae *Francofurti;* cujus exemplar aliquod *Dracontius* epistolae adjunxit, cum monito: *Hanc legas. Offendes, quae te legisse non poenitebit.* Plura his suggerenti de *Urb. Prebusino* agam gratias.

SEBASTIANUS SPRENTZ.

Claruit ut quondam septenis Graecia sophis:
Extulit ut vates inclyta Roma suos:
Sic decus et patriae splendos celebratur in oris,
Roswitha Germanis digna puella legi.

Sebastianus Sprentz, aut *Sperantius*, ut dici maluit, patria *Dinkelspielensis*, excultis studiis mathematicis, et theologicis, aliarumque scientiarum dotibus insignis a *Maximiliano I.* imp. delectus in *Secretarium.* Praepositus *Brixinensis*, demum ejusdem ecclesiae episcopus. In mathematicis usus est praeceptore *Stiborio;* in litteratura Hebraica *Joanne Boeschensteinio;* ut patet ex praefatione ejus ad suum *Elementale.* Censoris munere functus in *Rhapsodia Celtis* approbanda. Praeter quaedam epigrammata, quibus libros aliorum ornavit, nihil reperi, quod typis vulgaverit. Plura fortasse de eo occurrent in Annalibus ecclesiae *Brixinensis.*

III. Sodalitii litterarii epigrammatis, subjunguntur *Roswithae Comœdiae sex, in aemulationem Terentii*, hunc in modum inscriptae: 1) *Gallicanus*, 2) *Dulcitius*, 3) *Callimachus*, 4) *Abraham*, 5) *Paphnutius*, 6) *Fides et Spes.* Praefatione ludis hisce scenicis praemissa, excusat *Roswitha*, tueturque suum institutum adversus eos, a quibus accusabatur, quod *Terentium* legeret, et imitaretur, ubivis non satis verecundum et pudicum: periculum esse, ne virginalis pudor laederetur, aut labem contraheret virginis Deo dicatae integritas.

In epistola huic praefationi adnexa, indicat *Roswitha* libros, quos confecisset, se exhibuisse viris doctis; hincque se expectare censuram, priusquam ederet. In fine censores his compellat verbis: „Decet, ut non minoris „diligentia sollicitudinis libellum meum emendando investigetis, quam pro„prii seriem laboris: et sic tandem ad normam rectitudinis reformatum „mihi remittite; quo vestri magisterio praemonstrante, in quibus maxime „peccassem, possim agnoscere.“

Nemo a nobis jure exspectaverit, harumce Comoediarum, quae stylo soluto elaboratae sunt, prolixam, accuratamve descriptionem, aut argumento-

rum etiam synopsin, qualis comoediis singulis praefixa conspicitur. Dicimus paucis, Comoedias esse sacras, in iisdemque exhiberi conversiones mirabiles, sive ad fidem, sive ad resipiscentiam.

IV. Succedunt *Roswithae octo sacrae historiae vers. hexamet. et pentam.* Historia 1) Beatae *Mariae* Virginis. 2) *Resurrectionis Domini.* 3) Sancti *Gangolfi.* 4) *S. Pelagii.* 5) *S. Theophili.* 6) *Proterii et S. Basilii.* 7) Passio *S. Dionysii.* 8) Passio *S. Agnetis.*

In praefatione sacris hisce historiis praevia petit *Roswitha*, condonari sibi a lectoribus errores, in quos impegerit ignoratione sive syntaxeos, sive prosodiae. Petit pariter, indulgentius agi secum, si quando decepta ab auctoribus sublestae fidei, a vero aberraverit: ignorans scripta esse apocrypha: dum historicas has narrationes cogere in versus cœpit. Sperat itaque veniam: *quia*, ut inquit, *jus frangitur objurgationis, ubi intervenit humilitas confessionis.*

Quas versibus metricis contexuit *Roswitha* sacras biographias, legendas obtulit *Gerbergae*, suae *abbatissae*, nepti *Ottonis I.* imperatoris, quam vocat suam *doctricem.* Elegiacum carmen, quo magistrae censuram discipula expetiit, ita orditur:

Salve regalis proles clarissima stirpis
Gerbirg, illustris moribus et studiis.

Argumenta, quae singulis vitis praemittuntur, ut apertum est, *Roswithae* non sunt; sed, uti verisimillimum est, *Celtis* editoris. Idem statuendum de argumentis, quae praemittuntur sex Comoediis; de quibus paulo ante.

V. Sequitur *Panegyricus versu hexametro in laudem, et gesta Ottonis Magni, primi in Germania imperatoris.*

In praefatione prosaico Panegyrico praeposita, indicat *Roswitha*, id operis se suscepisse, abbatissae jussu. Queritur de difficultate laboris: eo quod res maximae sint enarrandae, gestae ab imperatore maximo: in quo quidem scribendi genere nullum habuisset ducem, cujus vestigia sectaretur. Unice se solatur, animumque erigit, quod non temere, nec suopte ingenio; sed

jussa ab antistite ei negotio manum admoverit, *Gandelheimensis*, ut scribit, *ultima ultimarum, quae sub Gerbergae dominio militant.* Demum *archipraesulis Wilhelmi* judicio, quomodo confectum sit opus, aestimandum relinquit.

Duplex est praefatio metrica, Panegyrico praevia. Prior inscripta est *Ottoni I.* imp., incipitque: *Tollens imperii regnator Caesareani &c.* Altera nomen praefert *Ottonis II.*, cujus hoc est initium: *Otto Romani praefulgens gemmula regni &c.* Ex versiculis succedentibus colligitur, etiam *Ottonis II.* jussione hunc esse Panegyricum adornatum a *Roswitha.*

In *Panegyrici* fine fit mentio Papae exauctorati ab *Ottone;* de quo vatis nostra ita canit:

Qualiter et recti compunctus acumine Zeli,
Summum pontificem quaedam perversa patrantem,
Ejus nec monitis cessantem cedere crebris,
Sedis apostolicae fraudari fecit honore;
Constituens alium rectoris nomine dignum.

Quid juris quondam exercuerint imperatores in pontifices Romanos, non ignorant ecclesiasticae historiae studiosi cultores; neque ipsis incompertum, quae fuerit *Ottonum* praecipue cum Romanis agendi ratio. Quae *Roswithae* ea de re sensa fuerint, patet ex allatis versiculis.

VI. Ornata sunt haec *Roswithae* opera *imaginibus* octo, ligno incisis. Imago *prima*, quae obvia est in folii primi aversa facie, exhibet *Celtem;* provolutum in genua, offerentemque *Friderico* Saxoniae principi electori, in solio sublimi, *Roswithae* opera. Effigies altera, quae comparet ante praefationem, aut epistolam *Celtis* dedicatoriam, *Roswitham* repraesentat, dum poplite flexo, *Ottoni* imperatori, sedenti in throno, librum tradit, lateri ejus assistente *Gerberga* abbatissa. Figurae sex reliquae conspiciuntur ante singulas sex comoedias; sistuntque persouas primarias, quae in dictis ludis loquentes inducuntur. Sunt istae icones in aliis exemplaribus illustratae coloribus vivis, in aliis nigrae.

VII. Clausula totius operis: *Finis operum Roswithae clarissimae virginis; et monialis Germanicae, gente Saxonica ortae. Impressum Norunbergae, sub privilegio*

sodalitatis Celticae, a senatu Romani imperii impetratae (impetrato) *et uno Quingentesimo primo supra millesimum,* Quis typographus opus excuderit, non indicatur. Spoponderat equidem *Celtis*, se codicem msc. redditurum esse *Ratisbonensibus Benedictinis;* postquam eo usus fuerit, et *Friderico Rosenritter*, provido viro, et civi *Norimbergae* praesentaverit. Quis fuerit ille *Rosenritterus;* bibliopola? typographus? penes *Norimbergenses* judicium esto!

Infra *clausulae* citata verba, comparet insigne, repraesentans colles tres, in quorum medio eminet vexillum *(eine Wetterfahne)* adscriptis litteris A. P. Quae quidem litterae torquent ingenia bibliographorum. Putant typographum designari alii alium. Pag. 328, Vol. IV. *Meusels* hist. litt. bibliogr. Magazin traditur, denotari *Norimbergensem* typographum *Peypum* quendam, qui praenomen gesserit, cujus initialis littera esset A. Additur eodem loco, existimasse *Saubertum*, illis litteris intelligi *Antonium Parmensem* typographum, *Zarotti* dictum; qui nomen gentilitium interdum addere supersedent; in eundemque errorem inductum *P. Affo*, hist. typogr. Parm. auctorem. Nec desunt interpretes, qui volunt, illis litteris significari *Augustinianos Praedicatores;* eo quod *Norimbergae* suo in claustro typographicam artem tractaverint *Augustinenses.* At meminerint, qui ita sentiunt, *Augustinianos*, et *Praedicatores* diversos esse ordines; quidquid sit de arte typographica, quam suo in cœnobio *Augustinenses* professi esse dicuntur.

Relictis inanibus his conjecturis, id quod vero est simillimum, subjungimus, denotari videlicet litteris illis A P *Augustam Praetoriam*, id est, *Norimbergam*, sive locum, ubi haec *Roswithae* opera, edita typis, lucem viderunt. Compertum namque est, a *Celte*, dum *Norimbergae* fecit mentionem, addita haec epitheta fuisse: *Augusta Praetoria;* velut apparet *ex descriptione Norimbergae*, ex Panegyrico ad *Maximilianum*, libris Amorum praefixo, ex epistola nuncupatoria ad *Fridericum* Saxoniae electorem, quam praemisit his ipsis *Roswithae* operibus; in quorum fine legitur: *Vale ex Norimberga Augusta Praetoria.*

Idem insigne praeferunt quoque *libri Amorum*, quos *Celtis Norimbergae* anno sequente vulgavit; hoc discrimine: quod istud paulo sit majus; totumque fere nigrum, litteris albis, vexillo dexteram respiciente. In operibus

autem *Roswithae* spectat sinistram; ut de ceteris, in quibus animadvertitur quaedam differentia, taceam.

Perraram esse hanc *primam* operum *Roswithae* editionem, in confesso est apud omnes, rerum intelligentes. Editionem *alteram* luci exposuit *Wittenbergae* an. 1707 in 4. *Henricus Leon. Schurzfleisch*; quam cum necdum viderim, penes me non est, de illa quidquam addere.

Epigrammata sodalitatis litterariae, de quibus supra egimus, repetitis typis publicavit *Zapfius*: inseruitque vitae *Joannis Dalburgii* an. 1796.

Panegyricum de gestis *Ottonum* intulerunt *Reuberus* et *Meibomius* suis collectionibus scriptorum rerum Germanicarum. Occurrit pariter apud *Leibnitium* inter scriptores rerum *Brunswicensium*, una cum ejusdem *Roswithae* carmine alio de *primordiis cœnobii Gandersheimensis*.

CAPUT XV.

LUDUS DIANAE,

IN MODUM COMOEDIAE.

NORIMBERGAE 1501. FOL. 6. in 4. CHAR. GOTH.

Titulus ludi hujus scenici integer, unde pluribus, quae huc attinent, lumen majus accedit, habet se hunc in modum: „Ludus Dianae in modum „comoediae coram *Maximiliano* Romanorum Rege Kalendis Martiis et ludis „*Saturnalibus* in arce *Linsiana Danubii* actus: Clementissimo *Rege*, et Regina, „ducibusque illustribus *Mediolani*, totaque Regia Curia spectatoribus: per „*Petrum Bonomum*, Regium Cancellarium, *Joseph Grunpekium*, Regium Secreta- „rium, Conradum Celten, Regium Poetam, *Ulsenium* Phrysium, *Vincentium* „*Longinum*, in hoc Ludo laurea donatum, feliciter et jucundissime reprae- „sentatus.“ Haec quidem inscriptio ita disposita, atque diffusa per versus,

aut lineas viginti, ut crateris formam referre videatur, infra quam conspicitur aquila biceps, quae dimidiam partem alteram primi folii occupat.

Erat itaque praesens Ludo huic scenico *Maximilianus* Imperator, una cum Imperatrice *Maria Blanca*, orta ex illustrissimis *Mediolani* Ducibus. Aderant inter spectatores *Mediolani* Duces; una cum tota regali curia. Ludus actus est *Lincii* ad Danubium, in arce Regia, Kalendis Martii anno 1501; ludisque *Saturnalibus* accensetur. Quo jure, haud percipio; siquidem *Saturnalia* celebrata a Romanis fuerint mense *Decembri*, die VIII. et seq. Fortassis qui hunc ludum *Saturnalibus* adnumeravit, commiscuit *Saturnalia* cum *Bacchanalibus*. Actores Ludi erant numero 24. Qui inter eos erant praecipui, in fronte libri comparent. Missis *Bonomo*, *Celte*, *Vesenio*; de quibus alibi: quaedam subnectimus de *Grunpeckio* et *Longino*. Erat *Joseph Grunpeckius*, patria *Burckhusianus*, Bavarus, nunc Austriacus; medicae arti deditus, aeque ac theologiae, sacerdotio initiatus, *Maximiliano* Imp. a sacris. Magnopere oblectatus arte prognostica; quemadmodum ex scriptis elucet, quae edidit tum medici, tum historici argumenti. Vitam *Maximiliani* ab eo conscriptam, partum posthumum, Theodisce luci exposuit *Jacobus Moserus*, Tübingae 1721. Fallitur autem in eo *Moserus*, quod negat, *Grunpeckium* fuisse *Maximiliani* Secretarium; quod quidem hujus comoediae titulus diserte contestatur. Scripsit inter primos de lue Venerea. *Koboltus* in Lex. tria duntaxat ejus opera commemorat. *Schierius* novem; quibus adjungendum illud, quod mox indicavimus, de vita *Friderici III.* et *Maximiliani I.* Etsi ob mirabilem indolem haud diuturna ejus fuerit cum plerisque amicitia: in colendo tamen *Celte* erat stabilis; quippe qui adhuc anno 1505 amicis litteris eum salutaverit. Epistolae ejusdem duae ad *Celtem* servantur in cod. msc. epp. .

Vincentius autem *Longinus*, *Eleutherius* pariter appellatus, a patria *Eleutheropoli* (Freystadt) Silesius, paterno, vernaculoque nomine dictus *Lang*, erat Musicus, poeta, ob studiorum similitudinem *Celti* acceptissimus. Agebat in Ludo *Dianae* personam *Bacchi*, ab imperatore laurea poetica in eodem Ludo donatus. Hortatu *Celtis* Italiam petiit. Reversus *Viennam*, absentis *Celtis* gessit negotia. Post ejus obitum an. 1504 inter *Celtem* et *Joannem Camertem* lis est orta de relictis ejusdem libris. Nonnullos sibi vindicaverat

Camers; *Celte* contendente, esse omnes destinatos bibliothecae Regiae. Scripsit *Panegyricum*, dictum *Maximiliano I.*, pro erecto Collegio poetarum, versibus heroicis. *Nicolaus Heurlius* in Silesiographia VII. p. 133 testatur, carmina *Longini* plura suppetere, quae commendat a facilitate styli, ceterisque dotibus. In codice msc. epistolari occurrunt *Longini* epistolae quatuor ad *Celtem*.

Constat comicus iste *Dianae Ludus* actibus quinque, quibus praemittitur *proloquium* versibus jambicis, recitatum a *Mercurio*, enarrante rei exhibendae argumentum, quo potissimum attinent versiculi sequentes:

Mandata vobis jam fero Triviae Deae,
Nemorumque latebris, et feris quae praesidet:
Haec *Maximo* Regi est datura *Aemilio*
Arcum, pharetram, cuspidas, rete et canes,
Sibi offerens venationum insignia:
Victamque se dicet per egregium virum,
Venationis omnis expertissimum.

Actus primus hunc in modum inscribitur: *Diana Nymphis, et Faunis, reliquaque sua familia, singuli suis insignibus ornati, et induti, Regem alloquitur* heroico versuum genere. Laudat Regem a rebus fortiter gestis. Praedicat se, et sua. Fasces tamen merito se dicit submittere Principi venandi artis studiosissimo. Inter alia ita canit:

Adeo venator *Maximus* ille,
Quem capreae, cervique timent, ursique, suesque,
Et lupus, et nuper tibi missi Aquilone Visontes:
Quem fugiunt, qui saepe ferus nemus omne fatigas.
Cedo lubens, arcumque meum, pharetramque nitentem,
Et jaculum capias, Caesar, spoliisque *Dianae*
Laetior exultes.

Post hujus carminis recitationem, Diana choro Nympharum stipata, laudes Regis et Reginae cum Nymphis et Faunis, quatuor vocibus cantat. Ipsa in medio choro corniculata stabat: Nymphis in chorea circa ipsam salientibus, et haec carmina canentibus: melodia ad notulas musicas, quae cantico subjectae sunt, exacta.

Maxmilianeas Nymphae nunc dicite laudes!
Et resonet nostro *Blanca Maria* choro!
Ducite jucundas Fauni, Satyrique choreas!
Indulget festis regia tota jocis.
Dedicat hanc genio Caesar cum Conjuge noctem;
Et nox perpetuo carmine digna coli.

Actus secundus. Sylvanus comitatus Baccho, Faunis, et Satyris Regem alloquitur, carmine hexametro, cujus est initium:

Rex (Dux) cui *Maximium* praestant pia sydera nomen.

Ea autem ratione contextum est carmen, ut litterae versuum initiales constituant hunc versiculum: *Ducimus invicto tutam sub Principe vitam.* Ex litteris autem finalibus nascitur versus iste: *Nestoreos utinam vigeat feliciter annos!* Ex vocabulis versuum initialibus, versiculi hexametri sex facile formari pariter queunt. Mendum tamen aliquod irrepsit, quod lusum turbat; si quidem pro τὸ *Rex*, unde carminis initium dicitur, legi debeat: *Dux.* Nemo autem est, qui non intelligat, difficilibus id genus nugis versibus inferri vim, ut oratio hiulca efficiatur, minimeque fluat.

Succedit chorus *Bacchi* et comitum suorum ad fistulam et citharam carmina, quae sequuntur, quatuor vocibus modulantium, inter saltandum:

Sylvanus, Satyri, Fauni, Syllenus, Jachus
Lascivis pedibus chorea nostra strepet.
Maximus Aemilius, Conjunx et *Blanca Maria*,
Cantentur nostris hic et ubique choris!
Vivite felices ambo, dum vita superstes:
Et locet aethereo Vos Deus inde polo!

Actus tertius. Bacchus Thyrsiger, comitatus Sylleno, et Bacchidibus, Regem alloquitur versibus jambicis. Postea conticuere omnes, intentique ora tenebant: et mox recitator chorijambi hujus (*Vincentius Longinus*) ad pedes Regis provolutus, lauream a Rege petiit:

Si qua mihi est virtus, doctrinaque, Maxime Caesar,
Imponas capiti laurea serta meo.
Per Superos ego juro tibi, et per sceptra Tonantis:
Cantabo laudes hic et ubique tuas.

Poeta, solemni ritu, per manus Regias, creato; Chorus actiones gratiarum Regi cantavit, tribus vocibus. Carminis Sapphici hoc est exordium:

Regis aeternas resonemus omnes
Inclyti laudes: nitidae coronae
Serta qui docto dederat poetae
Silesitano.

Actus quartus. Syllenus asello insidens, et cantharum ansa attrita, et contusa περιφερία extendens: vacillante et titubante lingua, et cruribus tremulis, Regem alloquitur, elegiaco carmine, quod hac ratione incipit:

Clarus Aventino quondam qui sanguine cretus &c.

Hinc rursus silentium: et pocula aurea, et paterae per Regios pincernas circumlatae: et inter pocula pulsata tympana, et cornua inflata.

Actus quintus et ultimus. Personae ludi omnes, in unum chorum congregatae, gratiarum actiones agunt, Diana loquente; et universo choro, quatuor vocum concentu singula carmina repetente, et veniam abeundi petente.

Elegidii hujus postrema disticha adducimus:

Multiplicem variet sobolem tibi *Blanca Maria:*
Et ducibus terras impleat Austriacas.
Tardior extremae cum venerit hora senecta:
Collocet omnipotens laetus utrumque polo!
Maxmiliane vale! Valeas jam *Blanca Maria!*
Jam repeto sylvas casta Diana meas.

Post ludum actum, Divus *Maximilianus*, altera die, convivio regio omnes personas refecit: quae erant numero viginti quatuor. Actores Regiis muneribus donavit.

Epigramma, quod adjungitur *Sodalitatis* nomine, petit artis poeticae, carminumque osores. Converso ad *Maximilianum* sermone, sic incipit:

Perlege Germanas, Rex invictissime, Musas,
Auspicio crescunt quae modo in orbe tuo.
Has olidi quamvis, tetrique odere cuculli,
Et quos barbaries, mitraque lata gravat.
Qui nos mordaci &c.

Quae ad postremas complendas paginas addita est *Ode Sapphica*, de corruptis aetatis illius moribus; quanquam cum ludo scenico nihil affinitatis habeat, lectu tamen minime indigna est, conscripta auctore *Joanne Stabio*. Incipit:

Quo ruit mundi periturus ordo?
Non fidem servant elementa priscam:
Non chaos vertunt sociale foedus
Semina rerum.

Clausula, quae hujus opusculi adjecta est calci, prodit, ubi, quando, per quem publicatum sit typis. Ita vero se habet: *Impressum Nurembergae ab Hieronymo Hoelcelio, cive Nurembergensi Anno* M.CCCCC *et primo novi seculi Idibus Maiis.*

Editio *altera* istius libelli pariter comparuit *Norimbergae* sequente mox anno, inserta *libris Amorum*, cultior, emendatiorque in quibusdam. Attamen caret *notis* musicis, ad quas exigendus est cantus; caret quoque carmine *Joannis Stabii*.

Primam editionem copiose recensuit *Hummelius* p. 27. seqq. Tomi I. Neue Bibl. selt. Bücher. An opusculi hujus auctor sit *Celtis*, in dubium revocavit anonymus quidam delitescens sub litteris LX. p. 311. Litter. Anzeig. an. 1799, mense Febr.; ratus, tribuendum esse *Vincentio Longino*, cum cuius versiculis magis congruere videatur, quam cum *Celtis* versibus suave fluentibus. Nos vero opinamur, abjudicari *Celti* foetum hunc litterarium nulla tenus posse. Contrarium certe non evincit ratio, aut conjectura, quam *Lipsiensis* anonymus attulit. Judice quidem *Hummelio* nitidissimis

hexametris contextus est *Actus primus*. Nos vero, si quid sapimus in hoc studiorum genere, idem fere generatim affirmandum esse censemus de versibus elegiacis, qui in hoc ludo occurrunt. Neque de Musa *Longini* tam senserunt humiliter viri docti, *Heurlius* l. c. et *Bil. Pirckheimerus*, qui *Longinum* commendat ab eruditione, studio poetices, et ingenio; hortatus eundem, ut in pellenda a Germanis barbarie strenue pergat. Confer ep. *Pirckheim.* ad *Longinum*, in operibus *Pirckheim.* hist. ep. *Goldast.*

Largiamur autem, quod vult anonymus, esse in eo *Dianae* ludo plura, quae offendant, jejuna, hiulca, aspera. Num propterea *Celti* adscribi non possunt? Dubio caret, multa esse in *Celtis* carminibus, quae haud satis nitent. Etiam bonus interdum dormitat *Homerus*; reprehensus a delicatioribus; aut rigidioris virgae *Aristarchis*. Permittamus demum, contulisse symbolam *Longinum*: primas tamen potissimasque partes in omni hoc negotio habuisse *Celtem*, ambigendum non est, quippe cujus consilio, hortatu, opera ludus compositus, actus, typisque mandatus fuerit; ut adeo honore, quem suis sibi meritis comparavit, defraudari jure haud possit.

Priusquam *ludum Dianae* dimittamus, praetermittere hoc loco non possumus, quae *Celtis* merita attinent in poesin comicam, aut scenicos ludos. *Primus*, ut tradit de *Celte* in ejus vita sodalitas litteraria Rhenana, *comoedias et tragoedias in publicis aulis veterum more egit.* Qua de re anno 1502, fol. 58. Actis msc. academiae Vindobonensis *Guilhelmus Puelinger*, Pataviensis, Artium et Medicinae Doctor, et academiae Rector, postquam felicitatem temporum, ac studiorum sub *Maximiliano I.* reflorescentium progressiones praedicaverat, manu sua haec adscripsit: *Erat profecto memoria dignissimus actus, antea non visus a me, neque ceteris: Comoediae plures in aula Universitatis, me annuente, et ut plurimum praesente, per pueros recitatae, ac scenico plausu repraesentatae sunt.* Exhibuit *Celtis* non comoedias solum, et tragoedias suopte ingenio elaboratas; sed veterum etiam probatos ludos: ad quos spectatores invitavit affixis epigrammatis. Hanc in rem occurrunt in libris epigrammatum epigrammata duo; quorum altero denuntiabat, exhibendam esse in aula academica *Aulularium Terentii*; altero autem comoediam *Eunuchi Terentianam* annuntiavit, jussitque spectatores, ut adsint post meridiem hora prima, in aula

academica. Neque ob finem alium reor a *Celte* fuisse editas *Senecae* tragoedias binas, *Herculem* nimirum *furentem*, atque *cœnam Thyestae*, quarum editionem ad annum 1486 referre licet. Id genus comoedias, tragoediasve magno fore usui Latinae linguae rectius perdiscendae, nemo nisi rudis, ac imperitus, earum rerum inficiabitur.

Equidem *Joannes Reuchlinius* an. 1497 *Heidelbergae* in aedibus *Jo. Dalburgii* exhibuit ludum scenicum; de quo agens *Celtis* Lib. III. ad *Joan. Capnionem* ita canit:

Comicas frandes copiose scribis,
Et sonas doctus tragicum cothurnum,
Primus et nostras celeres jambos.
Ducis in oras.

Jacobus etiam *Locherus*, sive *Philomusus* eodem anno 1497 sed mensibus tribus post *Reuchlinium*, *Friburgi Brisgoiae*, simili spectaculo theatrali adolescentes studiosos exercuit; quod quidem anno eodem typis vulgatum est *Argentorati*, insertumque ejus opusculis ante, quam *Capnionis* ludus typis exscriptus appareret.

Manet nihilominus verum, certumque sodalitatis Rhenanae assertum, quod *Celtis primus* fuerit, qui apud Germanos tragoedias, comoediasve in aulas publicas, maxime Principum, invexerit.

CAPUT XVI.

CONRADI CELTIS PROTUCII,

PRIMI INTER GERMANOS IMPERATORIIS MANIBUS POETAE LAUREATI,

QUATUOR LIBRI AMORUM.

NORIMBERGAE 1502. 4.

························

Praecipuum hoc est *Celtis* opus, rarum non minus, ac splendidum, Caesareisque excusum sumptibus, non *in folio*, nt perperam statuit cum *Clementio Jac. Bruckerus* in *Celtis* vita, sed *in 4to*; velut accuratius spectata charta animadvertit M. *Denisius* p. 424. Bibl. Garell. quo eodem teste, venditus in auctionibus publicis, aut venum expositus est hic ipse liber pretio 20 atque etiam 35 florenorum. Operis titulus ligno incisus praefert in margine inferiori hosce versiculos.

Cum tot jam nutriat tellus Germana poetas:
  Audent qui cunctis spargere metra plagis.
Cur ego ter quinum tacui qui *Celtis* in annum?
  Non ausim nostros edere in orbe libros?

CONTENTA:

1) Ad Divum *Maximilianum* Imperatorem *Praefatio* et Panegyrici pars prima.
2) *Vincentii Longini Eleutherii* in *Conradi Celtis* Novenarium Lyrica.
3) *Libri IV Amorum*, secundum quatuor Germaniae latera; versibus elegiacis.
4) *Generalis Germaniae descriptio*, heroico versuum genere.
5) Liber de origine, situ, moribus atque institutis *Norimbergae*.
6) De vita *S. Sebaldi*, Norimbergensis civitatis patroni; Ode Sapphica.

7) *Ludus Dianae*, coram *Maximiliano* imp., per sodalitatem litter. Danubianam, *Lincii* actus.

8) *Copia Bullae* Regiae erectionis collegii poetarum, et mathematicorum; cum facultate insigniendi poetas.

9) Panegyricus *Vincentii Longini*, carmine heroico, dictus *Maximiliano*, pro erecto dicto collegio.

10) *Epistolae* duae: altera *Sebaldi Clamosi;* altera *Celtis*, qua *Clamoso* respondet.

11) *Imagines XI.* auctore *Alberto Dürero.*

12) *Clausula* operis; et *insigne* adjunctum.

Ex opusculis, quae modo indicavimus, alia jam ante erant vulgata typis, atque §. §. praecedentibus a nobis recensita; alia nunc primum comparent. Prioribus missis, de his duntaxat nunc referemus, de quibus nondum fecimus peculiarem mentionem.

I. Priorem itaque hoc in syntagmate locum obtinet *Praefatio ad Maximilianum Imperatorem; sive Panegyrici Pars prima.* Affirmat *Celtis* hos quatuor *Amorum* libros, decennali peregrinatione a se conscriptos esse; nuncupandos non alii, quam *Maximiliano* Imperatori, a cujus Parente ornatus fuerit laurea Apollinari. Laudat *Maximilianum*, quod colligeret exules et errantes Musas, easdemque vindicaret a contemtu, et calumniis. Praedicat collegium poetarum, et mathematicorum, nuperrime institutum, ac dotatum munificentia singulari, concessa sibi, suisque eo in contubernio successoribus poetas *laureandi* facultate. Excusat postea, ac tueri nititur, tum adductis in medium ratiunculis, tum exemplo *Roswithae*, immo auctoritate sacrarum litterarum, suum de amoribus scribendi institutum. Subdit, pauca esse lasciva, quae inseruisset. Pollicetur, adolescentes, qui ea de amoribus legerint, tot tantisque malis, quae indomitus ardor procreat, deterritum iri; foreque, ut meliora edocti, rectius sapiant, seque intra temperantiae fines, ut par est, diligentius contineant. In fine demum indicat, hanc praefationem a se scriptam esse, tanquam Panegyrici de laudibus *Maximiliani primam* partem; *secundam* suis Odis, *tertiam* epigrammatis a se publicandis praefigen-

Nam spondet. Exarata est haec praefatio, ut in fine dicitur, *Norimbergae in aedibus Bilibaldi Pirckheimeri*, quas *Celtis* vocat *diversorium suum litterarium.* Nos Praefationem hanc integram exhibituri sumus in *Appendice*, una cum aliis ingenii *Celtici* monumentis litterariis.

II. Succedunt Praefationi *Vincentii Longini, artium et philosophiae doctoris et poetae laureati in Conradi Celtis Novenarium Lyrica;* quae quidem non implent nisi unam, dimidiamque paginam. Lusit *Celtis*, ut patet ex iconibus, quas singulis Amorum libris, praefixit, in numero potissimum *quaternario* et *novenario*, quem novem Musis sacrum voluit. Huc revocavit 4 hominum aetates; 4 anni tempora; 4 mundi plagas etc. Singulis attexuit *Longinus* quatuor versiculos. Sit exempli loco tetrastichon

In quatuor anni tempora.

Ver aperit terram, Zephyrisque inspirat amorem:
Spiciferam Cererem metit *aestas.*
Vitifer *autumnus* turgentes exprimit uvas.
Claudit *hyems* pia viscera terrae.

III. Opus ipsum sistitur, unde haec collectio nomen habet; nimirum *Libri IV Amorum;* quibus describendam sibi sumpsit *Celtis* Germaniam; relate ad quatuor mundi plagas. Eam in rem statuit urbes quatuor; quas *tetragonas* appellat; ab Oriente *Cracoviam* (hanc urbem illa tempestate ad Germaniam referebant geographi) a Meridie *Ratisbonam:* ab Occidente *Moguntiam:* a Septentrione *Lubecum.* In urbibus hisce sibi finxit vitae humanae quatuor circulos, una cum quatuor anni tempestatibus: ut *Cracovia* referret adolescentiam et tempus vernum; *Ratispona* juventutem, atque aestatem; *Moguntia* virilem aetatem et autumnum; *Lubecum* denique senectutem ac hyemem. Libros singulos inscripsit uni amicarum, quas in civitatibus illis coluit. Librum itaque primum dicavit *Hasilinae Sarmatae;* secundum *Elsulae Alpinae* sive *Noricae;* tertium *Ursulae Gallae,* seu *Rhenanae;* quartam tandem *Barbarae Cymbricae* aut *Codoneae* dedicatum esse voluit Describit itaque poeta noster in hisce libris, occasione data, terrae, coelique situm, anni

tempestates, aetates hominum; Germaniae flumina, montes, sylvas, doctorum hominum patrias; gesta principum, bella, praelia, busta etc. Nimius hic ibi in exaggerandis hominum ecclesiasticorum vitiis. Neque reticet amores, quibus in civitatibus tetragonis fuit irretitus. Librum quartum finit cum exhortatione ad juventutem Germanicam; monetque, ut melioribus studiis, ac sanctitati vitae in primis studeat. Huncque tandem in modum perorat:

Omnia terra suis sepelit, conditque cavernis:
Et toto, certum est, constat in orbe nihil.
Sola immortalis probitas, virtusque sub orbe est:
Et quae posteritas carmina docta probat.
Exemplum vobis imitabile sumite, quaeso,
Continuus vobis quo sit in orbe labor,
Nil superest de me, quando omnia terra dehiscit;
Quam quae nunc vobis mortuus ipse loquor.
Mortuus et vivus vates aeternus in orbe est:
Et qui virtutis stemmata clara colunt.

Non, opinor, exspectabit a nobis, neque flagitabit aequus lector, ut demus excerpta plura ex elegiaco hoc *Celtis* opere: si quidem ea, quae ad herois nostri illustrandam biographiam quidquam facere videbantur, hinc delibata, suis quaeque locis intulerimus. Solum aduotamus, carmina omnia elegiaci esse generis, exceptis duobus Lib. I. num. VIII. et XIV., quae sunt hexametri duntaxat versibus contexta. Complectitur Lib. I. poemata 15. II. 13. III. 14. IV. 15. Alia quidem ex hisce elegiis, ante jam fuerant edita, excusaque seorsim velut Lib. III. eleg. X., quae incipit: *Quam variis fatis cœlestia sydera mentes &c.* Alia post hanc *Norimbergensem* editionem, iteratis typis divulgata comparuerunt. Sic *Ambrosius Bero* rursus publicavit anno 1507 (superstite adhuc *Celte*) elegiam X. Lib. I. *Joannes Hornburg* eandem iteravit, una cum alia ejus elegia ex Lib. IV. eleg. IV. *Lipsiae* 1520. 4. Alias tandem *Celtis* elegias recudendas curavit, inseruitque *Fabricius Francofurti Deliciis poetarum German.*

Eo quidem eleginco opere tantam nominis gloriam consecutus est *Celtis*, ut in numero Germanorum poetarum *primus* poneretur. Quam laudem cum *Celti* abjudicare, sibique attribuere praesumeret *Richardus Bartholinus* Lib. XII. suae *Austriados* circa finem ita canens:

Primus ego ingredior Germana per oppida vates;

Hominis Itali hanc arrogantiam ut retunderet *Jacobus Spiegelius*, qui *Bartholini Austriaden* scholiis illustratam edidit Argent. 1531. fol., respondit p. 353. *Elegos noster Celtes primus apud Germanos scripsit; heroico carmine primus Güntherus, auctor Ligurini, idem, ut putant, Germanus. Ut nostris suus quoque honor servetur.* Recte id quidem: *Cuique suum.*

IV. Quae quarto loco occurrit *Generalis Germaniae* descriptio, heroicis versibus, cum jam ante viderit lucem, adjuncta *Cornelii Taciti Germaniae*, quam *Viennae* anno 1500, velut supra indicavimus, typis mandavit *Celtis*, non est, quod diu nos moretur; sibi fere per omnia similis editio utraque. Haec tamen *Norimbergensis* paulo auctior; praefatione nimirum ad *Maximilianum* imp., quae absolvitur hoc octosticho:

Rex, cui sceptra dedit Latialia conditor orbis,
Imperiumque tuo subdidit arbitrio:
Accipe Germanam pingentia carmina terram
In genere, et totam cerne superficiem:
Aequora cum sylvis, populos, montes, juga, gentes;
Et quantum sylva extenditur Hercynia.
Haec, rogo, pauca legas: donec Germania tota,
Illustrata tibi, *Maxmiliane*, detur.

Accesserunt quoque ad §. IV. *de quatuor lateribus Germaniae* postremi hi duo versiculi:

Et strumulos sicco quos mittit corpore Suedus,
A struma qui nomen habent, gluvieque patente.

Demum incrementum cepit unius versiculi paragraphus VI. *de tractu Herciniae sylvae*; qui talis est:

Qua Dravus, Savusque vagum exonerentur in Istrum.

V. et VI. Quae sequuntur opuscula: *Norimberga nimirum*, atque *vita S. Sebaldi*, quantum satis est, superioribus §.§. a nobis commemorata sunt; ut nihil fere sit, quod adjiciamus, nisi hasce elucubratiunculas, quae comitantur libros Amorum, a *Celte* seorsim fuisse distributas inter amicos, absque aliis. *Charitati Pirckhamerae* oblatam fuisse an. 1502 historiam *Norimbergae* et vitam *S. Sebaldi*, absque libris amorum, nobis persuasissimum est; tum quia *Charitas* in epistola, qua *Celti* egit gratias pro munere illo litterario, tantum mentionem facit *Norimbergae* et vitae divi *Sebaldi*; tum quia *Celti* fuisset indecorum, carmina istiusmodi sacrae Virgini offerre. Inde factum esse opinamur, quod cum libris Amorum desierint numeri paginarum; ut videlicet ea, quae succedunt opuscula, a libris Amorum facilius sejungi, separatimque distribui possent, quasi scripta peculiaria. Simile exemplar videtur *Celtis* tradidisse *Bohuslao de Hassenstein*, qui pariter per litteras donatori egit gratias pro *Norimbergensi* historia; quin de libris Amorum quidquam adderet. Hinc non minus factum esse reor, ut in quibusdam bibliothecarum catalogis *Norimberga Celtis* solitarie legatur. Quid discriminis sit inter libellum de *Norimberga*, quem an. 1495 Senatui *Norico* obtulit, atque inter eum, quem post secundis curis emendavit, adjunxitque libris Amorum; haud liquet. Illud apertum est, accessisse in emendatione hac *Norimbergensi* editione censoribus reliquis nomen *Bilibaldi Pirckheimeri, Patritii, et Senatorii ordinis viri integerrimi, philosophiaeque, et in utraque lingua, Graeca et Romana, eruditissimi;* quandoquidem in libello anno 1495 Senatui exhibito tantum legantur censores subscripti: *Joannes Dalburgius, Wormat. Ep. et Joannes Cocles, Senator Ducalis.*

VII. *Ludus Dianae*, qui adnectitur, fere se habet, ut prima illius editio; de qua supra egimus; versiculis septem, quantum ad vocabula quaedam, in melius emendatis. Deest autem hac in editione Ludi prolixior titulus. Desunt pariter notulae harmonicae, ad quas exigendus est cantus.

VIII. De *Maximiliani*, quod sequitur, *privilegio*, aut facultate coronandi poetas, impertita *Celti*, ejusdem in munere professorio successoribus, quae cognitu digna sunt, capite primo attulimus, eadem de re differentes. Fragmenta ex Caesareis litteris adduximus ad confirmanda ea, de quibus eam in rem verba fecimus. Lubuit tamen Diploma Imperatoris, quoniam tam gloriosum est *Maximiliano*; quam est honorificum *Celti*, integrum referre in *Appendicem*; eo prorsus modo, quo primum a *Celte* hoc in opere publicatum fuit.

Primam hanc istius privilegii editionem *Celticam* exceperunt aliae inter se in nonnullis discrepantes. Exhibent illud post *Celtem Freherus*, p. 239. Scriptorum rerum German. Tom. II. *Goldastus* p. 482. Constitut. imperial. Tom. III. *Jac. Burckhardus* p. 188. P. II. de fatis L. L. in Germania. *Jo. Seldenus* p. 136. P. II. de titulis honorum, edit. Lat. *Lambecius* p. 32. Tom. I. bibl. August. *Jo. Henricus a Seelen* p. 488. Select. Litter. prolixo commentario eandem *Bullam* illustravit *Lubecae* 1726. 8.

IX. Adnectitur *Privilegio* imperatoris, mox laudato, *Vincentii Longini Panegyricus*, pro instituto, poetarum et mathematicorum collegio. Incipit: *Acta velut primi stupuerunt aequora nautae*: absolviturque versibus heroicis 167; dictus est, ut in fine legitur: *Anno Domini M. D. et novi anni secundo, Kalendas Februarii.* Celebrat poeta *Maximiliani* laudes potissimum a favore, studioque in litteras; quo potissimum revocat erectionem collegii poetarum et mathematicorum. Neque praetermittit *Celtis* sui circa finem injicere mentionem; dum ita canit:

Audiit ut nuper lyricum resonare poema
Germani vatis, Phoebi praesente caterva:
Obtulit huic hilari mox regia munera vultu
Munera, quae donare potest tantummodo Caesar:
Nam potis est lauro sacros decorare poetas,
Celtis in Austriaca memorandi Principis aula.

Quodnam lyricum illud *Celtis* poema sit, quo tantam Caesaris gratiam inierit, utinam luculentius expressisset *Longinus*, ut in illius pervenire notitiam facilius possemus.

Recusus est hic idem *Longini Panegyricus* a *Marquardo Frehero*, illatusque in Tomum II. Scriptorum rerum Germanicarum. Argent. 1717.

X. Ad calcem operis obviae sunt duae epistolae. Quae ponitur loco priore, est *Sebaldi Clamosi;* qua hortatur *Celtem*, ut edat ingenii monumenta, quae parata habet; ne post ejus obitum, ut fit, distrahantur, aut pereant. Respondit, quae est epistola posterior, *Celtis*, se monitis pariturum. Data est Clamosi epistola anno 1500. *Celtis* autem responsoria anno 1502.

XI. Ornant opus hoc *Celticum imagines undecim Prima* quidem frontem libri constituit. Pars illius superior inscriptionem continet, quam initio indicavimus. Inferior autem sertum orbiculare repraesentat; inscriptum supra: *Ratispona, Danubius, meridies, juventus.* Infra: *Lubecum, Sinus Codanus Nox, Mors.* Ad dexteram: *Moguntia, Rhenus, occasus, senectus.* Ad sinistram: *Croca, Vistula, oriens, adolescentia.* In medio circuli: *Bohemia, Albis fluvius, in media Germania.*

Imago *altera* occurrit in folio I averso; sistitque *Celtem* in genua provolutum; offerentemque Imperatori in solio sedenti librum. Imagini inferius adnotata sunt verba *Ex.* XXI. *Qui maledicit principi suo, morte moriatur.* Videtur *Celtis* versiculum 17. dicti capitis huc traxisse.

Tertia effigies *Philosophiam* in throno conspicuam repraesentat; circumdatam orbicularibus figuris *Ptolemaei*, *Platonis*, *Ciceronis et Virgilii*, atque *Alberti M.* Superior imaginis margo habet haec: *Sophiam me Graeci vocant: Latini sapientiam. Aegyptii et Chaldaei me invenere; Graeci scripsere: Latini transtulere: Germani amplicavere.*

Margo inferior hos continet versiculos:

Quidquid habet cœlum, quid terra, quid aer, et aequor,
Quidquid in humanis rebus et esse potest.
Et Deus in toto quidquid facit igneus orbe;
Philosophia meo pectore cuncta gero.

Ad pedes Philosophiae conspicitur monogramma *Alberti Dureri.*

Icon *quarta*, quae proxime adjungitur *Philosophiae* refert scribentem *Celtem*, caterva Deorum, Dearumque undique cinctum, ac prae se habentem opera *Virgilii, Ovidii, Juvenalis, Horatii, Persii, Statii;* accubante ad heri pedes *Lachne.* Castalio Musarum fonti supereminent *Celtis arma*, quibus exhibetur duplex littera P, aut si mavis, etiam C; una cum tribus stellulis. Orae inferiori imaginis hoc est adjectum distichon:

Hanc laurum dedimus Conrado insignia vatum,
Caesar, ut Heroum fortia facta canat.

Hoc idem distichum, una cum alio, repetitum legitur in *Rhapsodia;* de qua paulo post erit sermo.

Imago *quinta*, et quae hanc sequuntur tres aliae, praefixae sunt quatuor Amorum libris: praeferuntque ea, quae convenient argumento, aut rebus, in quibus dicti libri versantur. Effigies autem *Celtis* in nulla desideratur; vel enim ludens cithara, aut librum prae se tenens conspicitur; aut habens a latere *sepulchrum Drusi.*

Quae descriptioni *Norimbergae* praevia est effigies *nona*, ceteras magnitudine superat exhibens conspectui turres, moenia, aedes publicas; privatasque civium una cum urbis Noricae insignibus; adjecto ad lectorem elegidio, quod etiam *Celticis* epigrammatis insertum legitur.

Decima, quae hymnum divi *Sebaldi* praecedit, eremicolam refert, promissa barba; qui sinistra manu baculo nititur; dextera autem sustentat ecclesiam, cui supereminent geminae turres.

Undecima tandem icon opus claudit; repraesentatque *Daphnen*, quam cum persequeretur *Apollo*, fugiens conversa est in laurum.

XII. Restat operis clausula; *Absoluta sunt haec C. C. opera in Vienna domicilio Max. Augusti Caes. Anno M. D. novi seculi II. Impressa autem Norimbergae ejusd. anni Nonis Aprilibus. Sub privilegio sodalitatis Celticae, nuper a Senatu Imperiali impetrato, ut nullus haec in decem annis in imperii urbibus imprimat.* Verbis istis subjungitur insigne, referens tres colles, in quo-

rum medio conspicitur vexillum, adscriptis ad latera litteris A P. Quid hae litterulae sibi velint, nuperrime declaravimus, ad finem operum *Roswithae*, quae simile insigne ferunt.

At vero scrupulum alium injicit id, quod per litteras mihi significavit *G. W. Panzerus*, in promptu sibi esse exemplaria duo de libris Amorum; in altero legi (quod quidem attinet clausulam) *Absoluta snt*; in altera autem; *sunt*. Item: in uno exemplari vexillum spectare dexteram; in altero sinistram; insigne in uno exemplari majus esse; in altero minus: id quod majus est, totum fere nigrum esse; quod vero est minus, totum ferme album. Spondebat, se investigaturum, an non per operis decursum sese offerant, varietates aliae; unde concludere liceat, reapse diversas esse editiones.
